

quia Scriptura solum veluti casu et per occasionem eam indicat. Incertum ergo est an illi Prophetarum filii ita Eliæ vel Eliseo adhererent, ut perpetuam cum illo societatem inirent, vel solum ad tempus cum eo degerent, ut ab eo instituerentur in divinis rebus, et postea de se libere disponerent. Unde, licet Hieronymus absolute dicat hos filios Prophetarum fuisse virgines, in Scriptura id non reperio, et verisimile est, dum ibi erant, castitatem coluisse, nec in congregatione illa solitos fuisse admitti, nisi ab onere matrimonii liberos; quod autem in eo statu perseverarent semper, aut quod voto ad hoc obligarentur, affirmari non potest. Ac similiter de obedientia credendum sine dubio est, dum ibi erant, Eliseo fuisse obsequentes, tum quia illum agnoscebant ut sanctum, et donis Dei superiorem, et ita semper eum dominum appellabant; tum etiam quia sine aliquo obedientiæ genere impossibile est in congregatione ordinate vivere. An vero illa obedientia esset ex voto, vel ex promissione humana, vel ex pacto tantum conditionato, si ibi perseverare vellent, vel solum ex interna spiritus motione, et operatione mere voluntaria, incertum est.

12. *Probatum tradita doctrina discurrendo per omnes vivendi modos, qui ante Christi adventum inter Judæos extiterunt.* — *Quid de Essenis dicendum.* — Possumus præterea similem discursum facere per omnes congregationes, seu vivendi modos, qui ante Christi adventum dicuntur fuisse inter Judæos per modum religionis, seu religiosi status, et in singulis explicare quomodo perfectam hujus status rationem non attigerint. Inter quos famosiores videntur esse Esseni, de quibus illustris narratio est apud Philonem, lib. de Vita contemplat.; et Joseph., lib. 18 Antiquit., cap. 2, et lib. 2 de Bello Jud., c. 7, ex quibus etiam intelligere licet illos fuisse religiosos, et paupertatem ac cætera consilia observasse. At vero de his Essenis varia est opinio; multi enim Patres existimarunt illos, de quibus Philo loquitur, non fuisse Judæos, sed Christianos, et D. Marci discipulos. Ita docet Hieronymus, de Script. Eccles., in Marc., de quo sic ait: *Assumpto Evangelio, quod ipse consecerat, perrexit in Ægyptum, et primum Alexandriae Christum annuntians constituit Ecclesiam tanta doctrina, et vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum suum cogeret. Denique Philo, disertissimus Judæorum, videns Alexandriae primam Ecclesiam adhuc judai-*

zantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit; et quomodo Lucas narrat, Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic et ille quod sub Marco, Alexandriae doctore, fieri cernebat, memorie tradidit. Dicit autem Hieronymus vidisse Philonem Alexandrinam Ecclesiam judaizantem, quia, licet Christiana esset, adhuc legalia servabat; Philonem autem propter judaismum illam laudasse, quamvis revera de Christianis loqueretur. Idem repetit paulo interius in Philone, quem dicit habitacula Christianorum vocasse monasteria, ea in multis provinciis esse memorans: *Ea quo (ait Hieronymus) apparet talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse videntur et cupiunt,* etc. Hanc sententiam secutus est Beda, præfatione in Marcum; et Cassian., lib. 2 de Instit. renunc., cap. 5, et eam prius docuit Eusebius, lib. 2 Histor., cap. 15; Sozom., lib. 1, cap. 12, in fin. Denique Epiph., hæres. 29, ut nominis rationem reddat, ait illos, de quibus loquitur Philo, non Essenos, sed Esseos vocari, vel potius Jessos, a Jesu nomine. Potestque hoc confirmari, quia si Esseni fuissent ante Christi adventum, essetque aliqua Judæorum religio, utique fieret aliqua mentio illorum in Evangelio, sicut fit Phariseorum et Sadducæorum; at nulla fit; signum ergo est inter Judæos non fuisse.

13. *Josephus loquitur de Essenis Judæis, et a Phariseis et Sadducæis illos distinguit.* — At vero quanquam de Philone probabile sit loqui de Essenis Christianis, quia tractat de illis, qui novam perfectionis viam eo tempore profiteri cœperant, Josephus autem de Judæis videtur loqui, nam antiquiores inter Judæos illos esse significat, et a Phariseis et Sadducæis illos distinguit, et quædam eorum dogmata refert, quæ cum Christiana religione non consonant. Unde Epiph., hæres. 19, ponit Essenos Judæos, qui ante Christum fuerunt, et hæres. 9 et sequentibus, alios Essenos Samaritanos fuisse affirmat. Cyrillus etiam, lib. 5 contra Julian., ex Porphyr., eorum mentionem facit, dicitque in perscrutandis Prophetis fuisse diligentes, et ideo multi existimant non fuisse Christum persecutos, et ob eam causam non fieri eorum mentionem in Evangelio. Eorum etiam meminit Plinius, lib. 5 Histor., c. 17, et antiquissimos illos esse significat, et castitatem ac paupertatem dicit coluisse, *sine ulla femina, sine pecunia.* B. Nilus, in princ. Asceticorum suorum, ait, illos habuisse mores similes nostris religiosi, non

tamen credidisse in Christum. Philast. etiam contra hæreses, ait multos eorum in judaismo permansisse. Verisimile ergo est et ante et post Christum fuisse, et multos ex illis ad fidem conversos per Marci prædicationem Alexandriae, moralem vivendi modum de se bonum in Christianismo retinuisse et perfecisse, et ideo verum quidem esse Philonem de Christianis loqui, non tamen excludere antiquiores Essenos; imo forte etiam Josephus, ut Hieronymus significat, de eisdem loquitur, illos cum Judæis confundens. De quibus videri possunt plura in Matthæo Gal., lib. de Origine Monast., c. 5; Baron., tom. 1, an. 64, num. 6 et seq.; Bellar., lib. 2 de Monach., c. 5.

14. *Esseni licet modum religiosæ vitæ tenuerint, non fuerunt vere religiosi.* — De his ergo Essenis, qui inter Judæos fuerunt, licet constet modum religiosæ vitæ tenuisse, tamen quod non veri religiosi fuerint ostendi potest. Primo, quia etiam illo tempore non creduntur habuisse veram et sanam fidem, ut ex Josepho colligitur, et ex Epiph.; sine vera autem fide, nec vera religio esse potest. Secundo, ex Josepho, lib. 18 Antiquit., cap. 2; et Philone, lib. Quod liber sit probus, eos non servasse veram paupertatem, sed habuisse divitias, unde viverent. Tertio, de observatione castitatis et obedientiæ nihil certo affirmare possumus, multoque magis incertum est an vota emisissent, præsertim perpetua; nam de his omnibus, qui castitatem servabant in lege veteri, certius creditur, regulariter solum pro aliquo tempore illam servasse.

15. *Idem dicendum de Nazaræis.* — Nazaræi etiam videntur habuisse inter Judæos similitudinem quamdam religionis; nam de illis dicitur, Num. 6, quod se sanctificabant, et per votum Domino consecrabant; sed (ut omittam illos etiam non habuisse integram et sanam fidem, ut videre licet in Epiph., hæres. 18) ex eodem loco Scripturæ constat illam consecrationem vel sanctificationem non fuisse perpetuam, sed ad tempus, nec alia opera perfectionis comprehendisse, præter abstinentiam a vino et uvis, cum aliis cæremoniis quæ ibi narrantur, de quibus videri potest Abul., ad locum citatum; et Mendocæ, in Quodl., q. 5, n. 1. Unde probabile aliqui existimant ab horum Nazaræorum ritu duxisse originem Rechabites, adeo in Scriptura celebres, propter laudes quas de illis refert Jerem., c. 35. Illi enim a Jonadab patre suo hoc præceptum habuerunt: *Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum, et domum non ædificabi-*

tis, et semen non seretis, et vineam non plantabitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris; quod paternum præceptum ipsi inviolabiliter observarunt, pro quo laudem et præmium a Deo meruerunt. Illorum ergo vivendi modus ab institutione paterna duxit originem; tamen Jonadab occasionem id præcipiendi videtur sumpsisse a ritu Nazaræorum, cui ipse aliquid addidit. Quod tamen etiam illi religiosi non fuerint, constat, quia in reliquis rebus extra illas cæremonias, laicorum more vivebant, et filios generabant, etc. Monstrat autem Baron., supra, hos Rechabites diversos fuisse ab Essenis, licet verisimile censeat hos ab illis originem duxisse. Non omittam autem advertere Hieronymum, epistol. 13, inter antiquos religiosorum duces cum Elia, Eliseo, et filiis Prophetarum hos etiam Rechabites numerare, ut intelligatur ipsum non appellasse eos duces, eo quod perfectum religiosum statum ad amissim tenerent, sed quia extra urbem vivebant, et vitam quamdam solitariam et pauperem profitebantur. Omitto sectas alias, quæ inter Judæos fuerunt, Phariseorum, Sadducæorum, Dosithæorum, et similibus; constat enim eos et in fide, et in moribus multum a vera religione defecisse, ut videri potest apud Josephum, d. lib. 18 Antiquit., capite secundo, et lib. 2 de Bello Jud., c. 2; Epiph., hæres. 13 et seq., quæ in summam redigit Baron., in Apparatu ad Annales, initio tomi primi.

16. *Explicatur magis tradita assertio quoad vota substantialia status religiosi.* — Tandem explicari potest in hunc modum assertio posita. Nam imprimis, si consideremus statum nostrum religiosum, ut constantem ex solemnibus votis, nullo fundamento affirmare possumus tale genus voti fuisse in usu in lege naturæ aut veteri, quo, scilicet, personæ fierent inhabiles ad matrimonium contrahendum, et matrimonium rite contractum ante consummationem dirimeretur; sunt enim hæc propria Ecclesiæ Christi, nec potest afferri ullum exemplum aut vestigium antiquitatum, quo ostendatur ante illos fuisse. Quod satis confirmant Pontifices, qui declarant hanc solemnitatem ab Ecclesia fuisse introductam, utique per specialem potestatem a Christo datam; antea ergo quam Christus daret hominibus hanc potestatem, non fuit nec esse potuit inter eos usus talium votorum. Idem argumentum fieri potest de voto paupertatis, quatenus hominem reddit inhabilem ad temporalium rerum dominium; imo etiam quatenus obligat ad illud non habendum, neque

acceptandum circa ullam rem, vel nunquam, vel raro existimo esse cognitum a veteribus, licet actualem usum paupertatis multi coluerint. Unde si abstrahamus a votis solemnibus hac speciali et legitima solemnitate, fortasse fieri potuit ut aliquis tria vota emiserit priscis illis temporibus; dico tamen de nullo posse cum sufficienti fundamento affirmari, multoque minus de aliqua communitate, et ritu aliquo vivendi pro omnibus hominibus communiter proposito. Unde hic accommodari potest distinctio insinuata a D. Thoma 2. 2, q. 184, art. 4, de statu hominis vel interno vel occulto, et apud Deum, vel de externo, publico, et apud Ecclesiam. Prior potest suo modo consurgere ex votis soli Deo factis, de quibus nos judicare non possumus, et ita neque affirmare simpliciter ab aliquo ante Evangelium fuisse omnia simul facta ut perpetua, et ut per illa se totum Deo consecraret immobiliter, quia hoc scriptum aut traditum non est; nec etiam id possumus constanter negare, quia neque hoc etiam est scriptum, et non fuit impossibile fieri, quanquam præsumptio sit in contrarium, tum propter auctoritatem negativam, tum quia non erant talia vota illis temporibus accommodata, vel propter non usum, vel propter minorem lucem Evangelicæ perfectionis, vel propter temporales promissiones, quæ tunc fiebant, et propter alias similes causas. Posterior autem status præter tria vota apud Deum requirit specialem potestatem in hominibus acceptandi illa nomine Dei, et traditionem quamdam, quæ in statu religioso cum illis conjuncta est, quæ potestas supernaturalis est, et propria legis novæ, nec cum probabili fundamento potest antiquioribus tribui, magis quam potestas ligandi et solvendi, quæ in Evangelio data est. Et per hæc satis responsum est rationibus dubitandi in principio positis.

CAPUT II.

UTRUM RELIGIOSUS STATUS A CHRISTO IPSO FUERIT INSTITUTUS.

1. Mirum est quanto odio ab initio Ecclesiæ religionis status oppugnatus sit; duplices autem fuere religiosorum hostes, alii enim personas, alii statum ipsum insectati sunt; utrumque autem modum homines impii, et præsertim hæretici exercuerunt, ut eleganter prosequitur noster Platus, in proœmio, lib. 4 de Statu Relig. Ut autem Julianum Aposta-

tam, et alios principes hæreticos omittam, qui potentia et vi religiosos vexarunt, quos late refert Jodoc. Coccius, tom. 2 thes., libro quarto de Vita Monastica, art. 2, in principio, Ariani summo odio religiosos persecuti sunt, ut ex Athanasio colligi potest in Apologetico, proxime ante secundam ejus epistolam; et in epist. ad Solit. vit. agent., sub finem; et ex Rufino, lib. 1 Hist., c. 3. Similia de Donatistis refert Augustinus, Enarrat. in Psalm. 132; lib. autem 3 contra Petilian., c. 40, significat non solum contra personas, sed etiam contra statum invectos fuisse. Tempore etiam Chrysostomi multi fuerunt non solum hæretici, sed etiam mali fideles vituperatores vitæ monasticæ, contra quos ille tres libros scripsit. Helvidius et Jovinianus etiam hunc statum oppugnarunt, nec enim potuerunt hostes castitatis et virginitatis esse, quin etiam contra religiosum statum se armaverint. Postea Wiclephus statum hunc a dæmone inventum ausus est dicere, quem errorem damnavit Concilium Constant., sess. 8, et late impugnatur ab Waldensi, tom. 2, a c. 83. Ac tandem novi hæretici illum vehementer insectantur, asserentes rem novam esse, et ab hominibus otiosis inventam calumniantur. Et qui majorem ei auctoritatem tribuunt, post 300 annos Christi dicunt incepisse, ejusque inventorem fuisse Macarium, Antonium, et similes. Et ne hanc etiam antiquitatem nostris religiosis tribuere videantur, dicunt illos nihil habere commune cum illis antiquis monachis, ut Bellar. refert, 2 l. de Monach., c. 5. Tria ergo videnda sunt, Primum, hoc non esse inventum pure humanum, sed ab ipso divino jure ducere originem. Secundum, statum hunc continuam et non interruptam traditionem in Ecclesia servatum fuisse. Tertium, substantia et essentia eundem semper fuisse statum, licet accidentibus et cæremoniis varietatem obtineat.

2. *Primum punctum, et ratio dubitandi an status religiosus sit inventio humana.* — *Primo.* — *Secundo.* — *Tertio.* — Circa primum punctum, ratio dubitandi esse potest, primo, quia nullibi legimus talem institutionem. Secundo, quia nulla ex religionibus, quæ in Ecclesia sunt, vel fuerunt unquam, est a Christo instituta; ergo nec status religiosus secundum se, quia institutio divina debet esse in particularia, sicut statum Episcoporum, vel sacerdotum instituit. Tertio, vel hic status ex natura sua bonus est, et sic non indignus positiva institutione; vel est indifferens, et sic non potuit a Christo institui, maxime cum ex

vi talis institutionis nihil speciale a Christo collatum sit.

3. *Vera resolutio: status religionis quoad substantiam suam a Christo Domino immediate traditus et institutus fuit, ac proinde est de jure divino non præcipiente, sed consulente.* — Pro explicatione advertendum est, aliud esse loqui de statu religioso puro ac nudo, quoad ea quæ illi substantialia sunt, aliud vero esse loqui de illo ut determinato ad certam regulam, seu certum vivendi modum, vel quod perinde est, ut talibus circumstantiis vestitum. Dico ergo primo: status religionis secundum se, et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit; atque ita dici potest esse de jure divino non præcipiente, sed consulente; hæc est sententia omnium catholicorum recte sentientium, D. Thomæ 2. 2, q. 88, art. 4, ad 3; Palud., in 4, d. 38, q. 1, de fin. 5, circa 3; Wald., tom. 1 de Sacramental., tit. 9, c. 83 et 84, et tom. 3 Doctr. Fid., c. 31 et 32; Clitov., lib. 3 de Votis Monast., cap. 5; Soto, lib. 7 de Justit., q. 5, art. 1, præsertim corol. 6 et 7; Castro, contra hæres., ver. *Votum*; Navarr., comment. 4 de Regular, n. 3, et de Redit. Eccles., monit. 3; Alvar. Pelag., libr. 2 de Planet. Eccles., c. 56, alias 53; Catharin., 1. 2 contra Cajet.; Turrian., lib. 5, pro Epist. Pont., c. 2; Bellarm., lib. 2 de Monac., c. 5; Platus, lib. 2 de Bono stat. Relig., c. 20; Valen. 2. 2, disp. 1, q. 4, punct. 1, § 6; et in Controv., tit. de Votis monast., c. 2; Henriquez, lib. 10 de Sacramento Ordin., cap. 4; Albert. Pius, lib. 5 de Monach.; Salmeron, tom. 8, tract. 52, in solutione octavæ objectionis; Vasquez 1. 2, disp. 163, c. 5.

4. *Probatur ex Patribus.* — Eadem veritas sumitur ex antiquis Patribus, qui communiter docent Christianorum vitam et statum in duos ordines Christum distribuisse, unum profitentium communem viam mandatorum, ut sunt conjugati, alium qui profitentur altiorem et Angelicam vitam, id est, religiosam. Notavit hoc Simon Logothetes, antiquus auctor, in Chronic., refertque varios Patres. Potissimum id docuit Basil., serm. 1 Ascetico, de Abdicat. rerum et perfect. spirit., ubi inter alia dixit, per illa verba Matt. 11: *Venite ad me, omnes qui laboratis*, vocare nos Christum ad monachorum vitam. Idem in Regul. fus. disp., Regula 6, duplicem illam vitam expresse distinguit, et de perfecta exponit illud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; et in Constit. monast., cap. 9, dicit religiosam vitam

esse imitationem illius, quam Christus cum suis Apostolis instituit; et cap. 23, loquens de obedientia religiosa: *Hanc (inquit) is, qui secundum Deum vere est monachus, antistiti suo præstet oportet, si quidem, ut jam diximus, Christus discipulos in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, ut per eos formam relinqueret eandem secuturae posteritati.* Idem habet, epist. 79 ad Eustath.; Chrysostomus etiam homil. 17 ad Popul., religiosam vitam vocat *philosophiam a Christo introductam*, qui tres etiam libros scripsit contra vituperatores vitæ monasterii. Idem Athanasius, epist. ad Ammon. monachum, tom. 5, qui etiam tom. 4 exhortationem habet ad monachos, ubi inter alia ait: *Illud legis indultum est terminis, hoc gratiæ servatum est incrementis.* Eusebius, lib. 1 de Demonst., c. 8: *In Ecclesia Dei duo modi vivendi instituti sunt*, etc., ubi licet non dicat expresse esse institutos a Christo, tamen ex contextu præcedentium capitum constat hanc esse illius mentem: optime autem in hunc modum definit statum religiosum, dicens: *Alter quidem (scilicet vivendi modus) naturam nostram, et communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus a communi et consueta cunctorum hominum vita abhorrens, et solum divino cultui, ei immenso rerum cælestium amori addictus.* Copiose etiam de eadem re scribit Augustinus, epist. 89 ad Hilar., q. 4, ubi ait se Apostolorum exemplo hanc viam secutum fuisse, et alios ad hoc propositum, quantum poterat, fuisse hortatum. Hieronymus, epist. ad Rustic. monach., et sæpe alias, idem sentit; et aperte Origenes, hom. 9 in Josue.

5. *Probatur præcipue ex Evangelio.* — *Instantia solvitur.* — Fundatur autem præcipue hæc veritas in Evangelio, in quo Christus homines ad tria illa consilia, paupertatis, castitatis et obedientiæ exhortatur, et ad vota perpetua de illis facienda, quæ duo in superioribus a nobis ostensa sunt, de illis votis simplicibus in particulari disputando. At vero substantia status religiosi in his tribus votis consistit; ergo hic status ab ipso Christo traditus est. Dices: esto Christus hæc vota consuluerit, non tamen inde fit consuluisse statum religiosum, tum quia potuerunt singula laudari et commendari per sese, non tamen ut componentia unum statum; tum maxime quia status religiosus plus includit quam illa tria vota, nam supra diximus, licet quis illa tria vota simpliciter emittat, non statim esse vere ac